Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

singulos quasi digito notes. loqueris
quod non prodest animae tuae, non tua mala sed
aliorum errores considerans, accipies quae
sequens sermo subnectit. Plerique nostrae
chirotoniam, id est ordinationem, id est ordi-
nationem clericorum, quae non solum ad impre-
cationem vocis sed ad impositionem
manus impletur, ne scilicet ut in quibusdam
risimus vocis imprecatio clandestina
clericos ordinet, nescientes sic intel-
ligunt. Assumunt testimonium pau-
li scribentis ad timotheum. Manus ci-
to nemini imposueris, neque com-
municaveris peccatis alienis. Non
est enim peccatum leve mittere
margaritas ante porcos, et dare
sanctum canibus, et ordinationem clericatus
nequaquam scientiae et in lege dei doctissi-
mis sed affectis suis tribuere, et vilium
officiorum ministris quodque de his dede-
corosius est mulierculorum precibus. In quo
consideranda loquentis in se christi apostoli
sapientia, qui ut ordinationis pericu-
lum demonstraret, iunxit tormenta
peccantium. Neque communicaveris
peccatis alienis. Sicut enim in ordinati-
onibus malorum particeps est peccatorum
qui tales constituit, sic in ordina-
tione sanctorum particeps est iustitiae eorum
qui bonos elegit. Sequitur. Et ver-
bum murmurationis, subauditur
apo koinou, si abstuleris a te. Ver-
bum autem murmurationis est quando
contra nos loquitur deus. Desinat a me
murmuratio populi huius, et non mori-
entur. Itaque peccata ferimus addentes
ad excusandas excusationes in

peccatis et dicimus. Corporis me superavit
ardor, adolescentiae incentiva vicerunt,
adeo talis creatus sum, paupertas coegit
ad furtum. Itaque si non fecerimus ista
quae dicta sunt, et fecimus ea quae dicenda
sunt, ut esurienti non solum sicut supra
diximus panem nostrum, sed et animam nostram
demus, ut cum in quibus aequaliter possimus adiu-
vemus, et non quasi ex tristitiae necessitate
sed ex animo tribuamus, accipientes magis
quam dantes beneficium. Hylarem enim
datorem diligit deus, ut animam esurien-
tem sive afflictam non refocilemus ex par-
te, sed saturemus, et doleamus cum dolen-
tibus, lugeamusque cum lugentibus, tunc o-
rietur in tenebris lux nostra. Ille qui di-
xit. Ego lux veni in mundum, ut
omnis qui credit in me in tenebris
non maneat, sed habeat lucem vitae. Lu-
cerna enim corporis nostri est oculus. Si
simplex fuerit oculus, totum corpus nostrum
erit lucidum. Sin autem qui lux esse de-
bet versus fuerit in tenebras, tunc omne
corpus tenebrosum erit, et dicetur nobis.
Si lux quae in te est tenebrae sunt, ipse
tenebrae quantae sunt. Consideremus quan-
tis virtutibus perveniam ad lucem dei.
et tenebrae nostrae vertantur in meridiem
dicamque cum sponsa. Ubi pascis, ubi
cubas in meridie. Et requiem tibi
dabit dominus semper, et implebit splen-
doribus animam tuam, et ossa tua libera-
bit. Et eris quasi ortus irriguus, et
sicut fons aquarum, cuius non deficient
aquae. LXX. Et erit deus tuus tecum
semper, et impleberis sicut desiderat
anima tua, et ossa tua pinguescent.